35
30
89

154

'Adondx ~baar~

Inhalt

1. Nicolai de Sepulchris Haebreorum.

2. De Usu Dialectorum Orientalium praecipue Arabicae in haebraico Codice &c.

DE USU DIALECTORUM ORIENTALIUM, AC PRÆCIPUE ARABICÆ, IN HEBRAICO CODICE INTERPRETANDO, ORATIO

Habita OXONII, in Schola Linguarum, VII Kalend. *Martii*, MDCCXLVIII.

A THOMA HUNT, S.T.P. *Ædis Christi* Canonico, Linguæ *Hebraicæ* Professore Regio, Linguæ *Arabicæ* Prælectore *Laudiano*, & R.S.S.

Ego verò, si quid censeam, Theologo adeo utilem existimo [Linguam ARABICAM] *ut si textum* Hebraicum *aliquando penitiùs excutere necessarium ducat, eâ sine manifesto veritatis* præjudicio, *ne dicam* dispendio, *carere non possit.*

POCOCK. Not. Miscell.

OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO,
Impensis RICARDI CLEMENTS, Bibliopol. OXON.
MDCCXLVIII.

27.

Imprimatur,

J. PURNELL,

Vice-Can. *Oxon.*

Decemb. 5. 1748.

DE USU DIALECTORUM ORIENTALIUM, AC PRÆCIPUE ARABICÆ, IN HEBRAICO CODICE INTERPRETANDO.

CUM *Arabici* ſermonis docendi provinciam à præclariſſimis illis viris, penes quos profeſſoris ſui electionem eſſe voluit *Laudius* (a), aliquot ab hinc annis accepiſſem, id mihi pro virili meâ agendum eſſe duxi, auditores, ut linguæ præſtantiſſimæ non tantùm *proprietatem* & *elegantiam*, ſed & ſummam ejuſdem cum *Hebraicâ* & *Syriacâ convenientiam* (prout inſtituti (b) ratio poſtulabat) diſcipulis meis oſtenderem & explicarem. Quod ut magis auſpicatò facerem, orationem ex hoc ipſo loco habui (c), in quâ, poſtquàm ea, quæ de linguâ ipſâ dicenda erant, ſatis jam perſecutus fueram, ad eandem cum *Hebraicâ Syriacâ*que comparandam me contuli;

(a) Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, Lecturæ *Arabicæ* Fundator.

(b) Vid. Statutum *Laudianum*.

(c) Orat. de Antiquitate, &c. Linguæ *Arabicæ*, *Oxon.* 1738.

quibuſcum eam arctiſſimis omnibus cognationis, & quaſi conſanguinitatis vinculis conjunctam eſſe demonſtravi; imò, communem planè cum iis matrem habuiſſe, antiquam, nempe, illam *Orientalem*, quæ ex confuſione *Babylonicâ* primùm orta, varia poſteà obtinuit nomina, prout à variis *Orientis* populis uſurpata fuit; *Hebraica* hinc dicta, *Arabica*, *Syriaca* ſeu *Chaldaica*. Et ne quid omitterem, quo mutuam hanc neceſſitudinem, quâ dialectos *Orientales* ſe invicem attingere videbam, manifeſtiorem adhuc redderem; in ejus fundamentum altiùs inquiſivi, & luculenta quædam protuli tàm ex ipſarum linguarum naturâ & conſtitutione argumenta, quàm ex ſacro codice exempla, unde rei, de quâ quærebam, conſtaret evidentia. Neque ab inſtitutâ comparatione hìc deſtiti; ſed quibus linguis tantam *naſcendi* communionem accidiſſe compereram, eaſdem haud minore *ſignificandi* communione conjunctas eſſe oſtendi; & proinde, cùm omnibus eadem ferè eſſent rerum vocabula, eadem etyma & notationes, eadem loquendi ratio & conſuetudo; non verebar etiam adjicere, eaſdem ad ſemetipſas mutuò intelligendas haud parùm conducere & conſpirare: & idcircò, cùm in earum aliquâ vox obſcurior, aut locutio minùs nota occurreret, de cujus ſenſu

haud

haud ſatis illius linguæ ope conſtaret, eam ſæpiſſimè opportuno vicinæ alterius & cognatæ linguæ interventu magnoperè illuſtrari atque explicari poſſe. Et quoniam multas *Hebraicas* voces hujuſmodi obſcuritate laborare intelligerem, utpote quæ vel ſemel tantùm, vel ſaltem rariſſimè in toto ſacro codice, qui unus eſt puri & antiqui *Hebraiſmi* theſaurus, invenirentur; quæque ideò vix aliquid ibi haberent, unde certi quicquam & explorati de earum ſignificatibus ſtatui poſſet: ad earum mentem rite percipiendam, linguam nunc *Syriacam*, nunc *Arabicam* conſulendam cenſui; ut ita id luminis, quod textus divinus à *proprio* idiomate accipere non poterat, à *vicino* aliquo mutuaretur, in quo voces illæ difficiliores magis notæ eſſent, & familiares. Et, quanquàm linguam *Syriacam*, cæteraſque *Orientales* ad veros *Hebraiſmi* ſenſus eruendos haud parùm conferre noveram, præcipuam tamen hâc in re laudem tribuendam ſemper exiſtimavi *Arabicæ*, *Arabicæ*, inquam, illi doctorum, quà patet *Oriens*, etiamnùm vernaculæ; quæ, ab optimis ingeniis per longum ſæculorum decurſum exculta, & omni ſcientiarum genere ditata, egregios permultos tàm in ligatâ, quàm in ſolutâ oratione oſtentat ſcriptores, quorum adminiculo ſermo ſacer, intra an-

gustos codicis unius limites tam diu conclusus, pristinæ suæ eloquentiæ gloriam recuperare, & in suam aliquando copiam atque amplitudinem restitui possit.

Atque hæc ferè erant, *Academici*, quæ de *Arabismi* utilitate, hâc saltem in parte, prooemii quasi loco, prælectionibus, quas tum ingrediebar, præmittenda censui. Neque sanè opinio, quam de insigni hoc literarum *Arabicarum* beneficio, in principio istarum prælectionum susceperam, in earum decursu me fefellit: imò, quod verbis illìc prædicavi, hìc factis abundè expertus sum. Novistis enim, juvenes doctissimi, mecúmque recolere potestis, qualem viam in his studiis insistere solebamus: novistis, nostri fuisse moris, quoties, inter codicem sacrum legendum, in rarius aliquod vocabulum incideremus, de cujus significatione haud satis nec ex ipso contextu, nec ex lexicographo aliquo, aut commentatore seu *Judæo*, sive *Christiano*, certi esse poteramus, inquirere, numnàm idem illud vocabulum apud *Arabas* etiamnùm extaret, & quémnam apud eos obtineret usum? Quòd si illud inveniremus à probatiore aliquo auctore, sensu congruo, & ad mentem loci, in quo eramus, explicandam apto, usurpatum, id verò

verò ſeriò gaudebamus, nacti, nimirùm, eam, quam quærebamus, lucem; ſcriptore profano exponente ſacrum, *Arabe Hebræum*! Sin verò nobis, omnia circumſpicientibus, & memoriâ recolentibus, nulla hujuſmodi auctoritas, nullum talis uſûs exemplum occurreret, nec genuinam vocabuli notionem à claſſico aliquo *Arabum* ſcripto repetere liceret; proximum erat, ut eorum lexica excuteremus, quæ à viris doctis, ſuæque linguæ peritiſſimis confecta, & omnibus eloquentiæ, tàm antiquæ, quàm recentioris, theſauris locupletata, ea interdùm nobis adjumenta ad ſermonem ſacrum intelligendum afferebant, quæ ad notitiam noſtram legendo nondùm pervenerant. Ad *Golium* itaque, vel *Giggeium* vos, ut meminiſtis, remittere ſolebam, illum *Giuharii*, hunc *Phirouzabâdii*, lexicographorum *Arabum* præſtantiſſimorum, interpretes; ex quibus didicimus, nec ſine ſacrâ quâdam & religioſâ admiratione obſervavimus, multas non tantùm voces, ſed & ſententias purè *Hebræas*, quas nos pro deperditis & velutì conclamatis habebamus, integras adhuc in linguâ *Arabicâ* remanere, ac, priſtinas retinentes ſignificationes, communi teri ſermone, & quotidiano vigere uſu. Adeò ut lingua *Hebraica*, quæ, poſt longas populi *Hebraici* calamitates, ad ſummam paupertatem

pertatem redacta, & penè senio confecta putabatur, eas ab affinibus suis dialectis, *Arabicâ* præsertim, divitias acciperet, ut cum uberrimo & locupletissimo quoque sermone contendere haud vereretur; nec ulla jam à senectute suâ metueret incommoda, cùm in cognatâ suâ, tanto apud *Orientales* in honore semper habitâ, renovari quodammodò se sentiret, & revirescere.

En! vobis, *Academici*, egregia illa, summéque admiranda beneficia, quæ rei *Hebrææ* accedunt ab *Arabismo*! En linguam sanctam, hoc tam præclaro auxilio adjutam, vires suas ætate jam collapsas afflictasque recuperantem, & de temporis injuriis magnificè triumphantem! En mancas vocum biblicarum notiones ad suam aliquando integritatem restitutas! En latentia earum themata investigata! Hæc est magna illa sacri sermonis instauratio, quam frustrà quis expectaverit à *Rabbinis*, *Rabbinicéve* edoctis, utpote qui angustis idiomatis *Hebræi* cancellis circumscribuntur, eò magis ignari linguæ propriæ, quò magis hospites sunt in *Arabicâ*. Hæc est regia illa ad veram *Hebraismi* cognitionem via, quæ, spretis *Judæorum* magistris, quibus non nisi pauperculæ quædam & velut naufragæ veteris sui sermonis supersunt

ſunt reliquiæ, nos per ſpatioſos *Arabiæ Felicis* campos ad univerſæ *Orientalis* eloquentiæ fontes atque ſcaturigines perducit: via, inquam, illa, quam voſmet, chariſſimi juvenes, læti mecum preſſiſtis, & in quâ majores ad perfectam ſacræ literaturæ intelligentiam, intra unius alteriuſve anni curriculum, progreſſus facere conſueviſtis, quàm quos, ſi aliam quamvis inſtiteritis, per totam ferè vitam facturi fuiſtis. Quas quidem tàm veſtras, quàm hujuſce mei inſtituti laudes ſi ipſe tacerem, nec rei ipſius ratio ſatis teſtaretur; diſertè loqueretur magna illa, quam nonnulli è veſtrûm numero jamdudùm apud doctos conſecuti eſtis, fama; loquerentur præclara illa ſcripta, non minùs eruditione, quàm ingenio conſpicua, quæ in eccleſiæ & reipublicæ literariæ emolumentum jam edidiſtis, plura poſthac, & majora, ſi vitam vobis conceſſerit DEUS, nec *Mecænates* erga hæc ſtudia ſatis benigni defuerint, nî vana auguror, edituri.

QUÆ cùm ita ſe habeant, cùm ea ſint *Arabum* erga *Hebræos* in ſacris merita, haud minùs in hos injurioſus, quàm adversùm illos ingratus eſſem, ſi me in literis *Hebraicis* ritè poſſe verſari profiterer, non adhibito auxilio *Arabicarum*. Ut

ergò

ergò tàm ſua conſtarent *Hebræis* emolumenta, quàm ſuus ſalvus eſſet *Arabibus* honos, quoties ferè illos conſului, toties hos haud prætermiſi inconſultos; eamque ſemper ſacri codicis interpretandi rationem ſecutus ſum, quæ, unà cum aſſiduâ ipſius *Hebraiſmi* lectione, conjunctam haberet mediocrem ſaltem dialecti *Arabicæ* peritiam.

Quod ut aliàs ſemper feci, ita hoc præcipuè tempore mihi faciendum cenſeo, cùm mihi, ad ampliſſimam *Hebraici* ſermonis prælegendi dignitatem ſereniſſimi illuſtriſſimique Regis Georgii gratiâ ac favore evecto, omni curâ atque operâ enitendum eſt, ut & quàm perfectiſſimam ejuſdem ſermonis ſcientiam ipſe comparem, & alumnis *Academicis* impertiam. Qualem quidem fruſtrà vel præ me ferrem, vel eos me docturum promitterem, ſi, in adminiſtrandâ hâc provinciâ, *Arabiſmi* ope uti neſcirem. Nam qui linguæ *Hebraicæ* magiſtrum priùs ſe profitetur, quàm in *Arabicâ* aliquatenus ſit verſatus, næ ille haud idoneus videtur, qui ſacra oracula debito cum fructu ipſe legat, nedùm qui aliis prælegat. Siquidem merus *Hebræus* linguam *Hebræam* intelligere non poteſt. Qui ultra *Rabbinos* non ſapit, (quod de iis ſemper *Rabbinis* dictum velim, qui literarum *Arabica-*

rum rudes fuêre; pauci enim rectam viam secuti sunt, & mecum censuerunt linguas *Orientales* esse ממשפחה אחת, *ex eâdem familiâ,*) pro nobili illo & copioso sermone, qui sacrorum auctorum temporibus floruit, non nisi mutilum quoddam & exangue ejusdem cadaver amplectitur; vix ipsam veri *Hebraismi* imaginem intuetur, nec quicquam retinet præter posthuma quædam & evanida dilectissimæ faciei lineamenta. Non hæc est illa, quam quærimus, *Academici*, linguæ sacræ cognitio. Major, mihi credite, res est is, quem vobis commendo, *Hebraismus*. Ille demum linguam *Hebræam* verè intelligit, qui universas *Orientales* intelligit; ille verò universas *Orientales* intelligit, qui intelligit *Arabicam*. *Arabica* enim universas in se continet; universarum divitias atque fortunas amplissimâ suâ ditione complectitur. Hinc oratio *Hebraica*, hinc *Syra*, hinc *Chaldæa*, hinc omnis denique, quæ unquam in *Oriente* exculta fuit, eloquentia, suas non tantùm proprietates & idiomata, sed suas etiam gratias & ornamenta dicendi, quæ pro amissis jamdudùm ac deperditis habita sunt, repetere potest, & recuperare; ab *Arabicâ* nunc invicem decoranda, ut ipsa olim *Arabicam* decoravit.

Quæ cùm vidit *Laudius*, prælectorem linguæ *Arabicæ* impensis suis in hâc *Academiâ* instituit, ad cujus officium pertinere voluit, ut, quoties, inter *Arabica* sua legenda, in vocem aliquam, seu sententiam incideret, cujus similem aut affinem in libris biblicis extare meminerit, eam diligenter notaret, factâque inter utramque comparatione, videret an aliquid esset in dicto *Arabico*, quod ad *Hebræi* illustrationem conduceret. Scilicet, haud ignorabat præsul doctissimus, hanc suam institutionem, etsi omnibus ferè literis profutura esset, in nullarum tamen commodum æquè cessuram, ac sacrarum; quippe quibus diligens *Arabismi* studium ipsarum non tantùm linguam & priscos loquendi modos, sed mores etiam & consuetudines, imò pristinum ipsum genium spiritumque erat restitutura.

Primus prælector *Laudianus* fuit *Pocockius*, vir omni tàm pietatis, quàm eruditionis laude insignis, quem ab *Halebo*, celeberrimo illo *Syriæ* emporio, ubi mercatorum nostratium sodalitio à sacris erat, ideò arcessivit *Laudius*, ut eum huic muneri præficeret; ab ipso, nimirùm, *Oriente* hunc primum, hunc egregium suum *Orientalis* sermonis professorem. Et profectò, quis meliùs linguam *Arabicam*

doceret,

doceret, quàm qui linguam *Arabicam* in ipsis *Arabum* scholis per tot annos didicerat? Quemve prælectorem suum potiùs constitueret antistes *Anglicanus*, quàm qui ipsum antistitem *Halebensem* (*Muftium* dictum) *Arabismi* scientiâ æquaverat? Nam cùm *Pocockius*, in patriam jam reversurus, magistrum suum, nomine *Phatallam*, valedicendi ergò, ad se vocâsset, hanc profectûs sui laudem à doctore *Mohammedano* tulit: *I, Pococki, ubicunque gentium sis futurus, scito te Arabicè æquè scire, ac Muftium Halebensem!* ([a])

Redux *Pocockius*, & ad hanc cathedram, cui jam diu designatus erat, evectus, eum studiorum cursum tenuit, quem nos suprà commendavimus, quemque ille patrono suo gratum fore intellexit; nempe, ut maximam curam iis rebus impenderet, quæ maximi erant momenti, & linguam *Arabicam* ita excoleret, ut non negligeret *Hebræam*. Primus liber, quem eum prælegisse accepimus, fuit celeberrima illa proverbiorum collectio, quæ *Ali*, quarto post *Mohammedem* Khalîfæ, seu imperatori *Saracenico*, ascribuntur, utpote quæ ex moralibus ejus dictis excerpta, & in unum volu-

(a) *Ockleii* Introduct. ad II. Vol. Hist. *Saracen.* p. 33, 34. Et *Twells* in Vitâ *Pocockii*, p. 6.

men ab ipſius aſſeclis, ordine alphabetico, compacta, ſub variis in *Oriente* titulis, diverſis temporibus, publicata ſunt, ac præſertim ſub ſplendido illo, quem codex *Laudianus*, ad eorum ſeu pretium, ſeu tradendi modum alludens, in fronte gerit, qui inſcribitur, نثر اللآلي, *Nathr Al-Lâli*, *ſparſio*, ſive *jactus margaritarum* ([a]): opus utrique hujus lecturæ propoſito accommodatiſſimum, ſive *Arabiſmus* ipſe explicandus erat, ſive cum vicino *Hebraiſmo* conferendus. Nam & conſtat ſententiis omni ſermonis tàm elegantiâ quàm puritate conſpicuis, & non pauca continet vocabula, quorum ope oratio biblica haud parùm illuſtrari atque ornari poteſt; quemadmodùm ipſe olim, inter hæc adagia diſcipulis meis exponenda, ſæpiùs expertus ſum. Prælectiones, quæ ab eo in hunc libellum habitæ ſunt, neſcio quâ malâ fortunâ, publicam lucem non viderunt. Quibus tamen ut faciliùs careamus, faciunt eruditæ ejus in carmen *Tograï*, poëtæ *Arabis* celeberrimi, notæ,

---

(a) *Laud.* A. 133. Alia hujuſmodi collectio extat *Pocock.* 35. ſub hoc titulo, من كلام اسد الله الغالب, i. e. *Quædam dicta* (ſeu *apophthegmata*) *leonis DEI*, *victoris*, i. e. imperatoris *Alis*, ſic dicti ob fortitudinem & bellicam virtutem. Hic idem codex eſſe videtur, quo uſus eſt ipſe *Pocockius* in prælectionibus hìc memoratis: ſed imperfectus eſt, nec cum *Laudiano*, ullo modo, aut ſcripturæ pulchritudine, aut *Sententiarum* numero, comparandus.

in quibus, duplicis ſui officii uſque memor, *Hebræa* cum *Arabicis* adeò feliciter temperavit, ut, dum hæc ad grammaticæ regulas exegit, eorumque mentem explicavit, multas quoque illis radices & etymologias, quæ temporum injuriis vel planè deperditæ erant, vel plurimùm ſaltem obſcuratæ & deformatæ, haud ſine magno ſacrarum literarum emolumento, reſtituerit, & in integrum reduxerit; ut in vocibus אצילים, חלי, דבלה, חיה, ארץ, שמים, גדילים, multiſque aliis, videre eſt.

Cumque duplici hujus lecturæ munere multos jam annos, non ſine ſummâ omnium laude, perfunctus eſſet *Pocockius*, linguamque *Arabicam* ita docuiſſet, ut, unà cum ejus cognitione, ſacræ quoque paginæ ſcientiam ad altiorem perfectionis gradum, quàm quò unquam anteà pertigerat, evexiſſet; hanc cathedram, ut optimè eſt meritus, ſecundâ vice aſcendit, factus linguæ *Hebrææ* profeſſor regius; duoſque dehinc ſermones, quos, ex *Laudiano* inſtituto, toties naturâ & origine conjunctos oſtenderat, ſtipendiis quoque & emolumentis conjunxit. Quo quidem eventu nihil lætius acceptiuſque accidere potuit ſeriis omnibus ſanctorum oraculorum cultoribus, quippe qui jam nacti erant ſtudiorum ſuorum ducem, non talem

lem

lem quidem, qualem ferè emittere ſolebant *Judæorum* ſcholæ, *Rabbinum* quendam ſervilem & ſuperſtitioſum, patrum ſuorum veſtigiis cæcè ubique inhærentem, intra anguſtos linguæ ſuæ limites concluſum, nec pedem inde movere auſum; ſed, qualem habere decuit *Academiam* veritati inveſtigandæ ſemper intentam, ſagaciſſimum & acerrimi judicii interpretem, ſuis oculis videntem, ſuâ doctrinâ innixum; qui, omni literarum *Orientalium* peritiâ inſtructus, nihil ſtudii aut laboris prætermiſſurus erat, quo arcta ſermonis *Hebræi* pomœria ampliaret, & in ejus ditionem univerſas dialectorum vicinarum, *Arabicæ* præſertim, omnium opulentiſſimæ, divitias atque facultates redigeret, & largiſſimâ manu infunderet.

Merito jam ſibi gratulabantur volumina ſacra, quæ tam peritum adepta eſſent interpretem, tam ſtrenuum divinæ ipſarum veritatis aſſertorem. Veniſſe jam videbatur tempus, quo nec ſua ampliùs venerandis illis ſcriptis objicienda erat obſcuritas, nec ſua ipſorum interpretibus exprobranda ignorantia. Ecquid enim vel in difficillimis bibliorum partibus occurrere poterat tam perplexum, tamque tenebris involutum, quò non penetratura erat perſpicaciſſima illa *Pocockii*, cum

im-

immensâ eruditione conjuncta, sagacitas? Conciliandíne inter se erant Apostoli & Prophetæ? Aut tollendæ eæ, quæ videbantur esse, discrepantiæ inter *Græcum* textum Novi Testamenti & *Hebraicum* Veteris? Non jam ad variantes nescio quas lectiones, cum *Capello* & *Grotio* confugiendum erat, aut existimandum voces quasdam *Hebraicas* aliter lectas fuisse Christi & Apostolorum temporibus, ac hodiè leguntur. Perfugium istud erat commentatorum aliter sese expedire nescientium. Haud ita temerè receptas lectiones solicitari volebat *Pocockius*. Tutior illi, & minùs violenta conciliationis placebat via; ea, nempe, quam ipsi suggerebant *Arabes*, apud quos sæpe reperiebat ipsas illas voces *Hebraicas*, de quibus cum *Græcis* comparandis, & in concordiam reducendis agitabatur, etiamnùm non tantùm remanere, sed & sensu duplici usurpari, uno citationi Apostolicæ, altero textui Prophetico, prout nunc intelligi solet, conveniente. Hoc modo, maximam illius ἐναντιοφανείας partem, quæ haud exiguas solita erat creare difficultates, ex interpretum viâ removebat *Pocockius*. Cujus beneficii, à magno hoc viro in criticen sacram collati, unum exemplum proferre liceat. Notum est, urbem *Bethlehem*, quam *Michææ* interpretes nominaverant ὀλιγο-

στόν (a), à *Matthæo*, vaticinium illud allegante, appellari οὐδαμῶς ἐλαχίστην (b), ſenſu à mente Prophetæ toto, ut videtur, cælo diſcrepante. Quomodò inter ſe conciliandi erant duo hi θεόπνευστοι ſcriptores tam apertè, primâ ſaltem facie, ſibimetipſis contradicentes? Num ſufficiebat dicere, exemplaria *Hebraica* aliter interpretum, aliter *Matthæi* ætate lecta fuiſſe? Id, pro more ſuo, aſſerit *Capellus*, variantium lectionum paulò uſque amantior. Quod tamen negat *Pocockius*, oſtenditque, ex dialecti *Arabicæ* uſu, *Hebræum* צעיר, *tſair*, unum eſſe ex iis vocabulis, quibus contrariæ obtigerant ſignificationes, & in ſe notionem non tantùm *parvi*, ſed *magni* etiam continere (b).

Considerandumne illi erat aliquod ex iis, quæ *ſacra* dicuntur, animalibus? Notam ſibi & familiarem ejus tàm formam, quàm naturam ex eo tempore reddiderat *Pocockius*, quo regiones *Orientales*, ipſam ſacrorum auctorum, animaliumque patriam, peragravit, viator non minùs in rerum proprietatibus inveſtigandis, quàm hominum linguis addiſcendis, diligens & curioſus: nec ſibi, de beſtiâ aliquâ, aut ave biblicâ ſcripturo,

(a) *Mich.* V. 2.
(b) Not. Miſcell. p. 14, &c. Ed. *Oxon.* Et Comment. in *Mich.* V. 2.

ad

ad hiſtoriarum potiùs naturalium deſcriptiones, quàm ad proprias obſervationes, iis longè accuratiores, recurrendum erat. Has ſecutus, vocem תנים, *tannim*, quâ deſignatur animal, cui ſeſe, infelici populi ſui ſorte anxium, comparat Propheta *Michæas* ([a]), non de *dracone* ſeu *ſerpente*, cum pleriſque interpretibus, intelligendam putavit, utpote cujus *ſibilus* vix quicquam commune haberet cum *luctu* Prophetico; ſed de ferâ quâdam belluâ, mediæ inter canem & vulpem, ſeu lupum potiùs, naturæ, *Arabibus* ابن اوى, *ebn âwi*, ſeu, ut vulgus effert, ابن واوى, *ebn wâwi*, ab ipſo vocis ſono, dictâ, quæ ſolitudines ſectatur, agroſque tam triſtibus, per noctem, ſive latratibus, ſive ululatibus implet, ut peregrinantes, quibus mos ejus minùs notus eſt, humanos ſe credant audire fletus, & veluti confuſos quoſdam mulierum puerulorumque inter ſe complorantium ejulatus & lamentationes: quemadmodùm nôrunt ii, quibus per plagas *Orientales*, ac *Syriæ* præſertim deſerta, iter facere contigit. Quæ quidem vocabuli notio, ab ipſâ animalis naturâ & indole petita, haud parum lucis aliis ſcripturæ textibus, in quibus ad hanc ejus proprietatem alluſum eſt, conciliavit.

(a) *Mich.* I. 8.

EXPLICANDUSNE illi erat aliquis ſacræ paginæ locus, cujus ſenſus pendebat ex cognitione artium conſuetudinumque *Orientalium*? Nemo eas aut meliùs intellexit, aut ad ſtudiorum *Hebraicorum* uſus feliciùs applicuit, quàm *Pocockius*. Ut alia hujuſmodi exempla taceam: quàm parùm, ante *Pocockii* tempora, nota fuêre varia illa inſtrumenta & artificia, quibus frumenta, & reliqua grana in *Oriente* triturari, atque ex folliculis ſuis excuti ſolent? Et, tamen, quot ſunt ſacræ ſcripturæ loca, quæ ſine rectâ eorum cognitione nullo modo intelligi, nedùm explicari poſſunt? Legimus in bibliis, *Non ligandum eſſe os bovis terentis in areâ fruges* (a):---- *Filiam* Sionis *juſſam triturare hoſtes ſuos ungulis æreis* (b):---- *Rotam plauſtri non circumire ſuper cuminum* (c).---- *DEUM poſiturum* Iſraelitas *quaſi plauſtrum triturans habens roſtra ferrantia*, ſeu (ut verſio noſtra *Angl.*) *dentes ferratos* (d). Hæc, & ſimilia codicis ſacri loca, ad varios triturandi modos, qui in *Syriâ*, reliquiſque *Orientalibus* regionibus uſurpantur, alludentia, quis priùs rite in-

(a) *Deut.* XXV. 4.
(b) *Mich.* IV. 13.
(c) *Eſai.* XXVIII. 27.
(d) Ibid. XLI. 15. *Gr.* Τρόχȣς ἁμάξης ἀλοῶντας.

tellexit,

tellexit, quàm eorum cognitionem ſecum ex *Oriente* reportavit *Pocockius*, & in commentariis ſuis cum orbe erudito communicavit? Hinc diſcimus, ruſticos *Aſiaticos*, in granis ex paleâ exterendis, pro virgis illis, ſeu baculis, (*flagellis* vulgò dictis,) quibus utuntur *Europæi*, adhibuiſſe nunc rotas ferreas, inſtar ſerræ dentatas, & axe conjunctas; (*Phœnicum* ploſtella vocat *Varro*;) nunc tabulas graves, acutis lapillis, aut ſilicibus ab inferiore parte aſperatas; utraſque per aream, manipulis conſtratam, à bobus ſeu juvencis (& ipſis opus ungulis adjuvantibus) trahi ſolitas: quæ inſtrumenta cùm à magno noſtro interprete, qui ea viderat, deſcripta legimus ([a]), tunc demùm clarè percipimus, qualis reverà fuerit tritura *Orientalis*, quíque ſenſus ſit pulcherrimarum illarum ſimilitudinum alluſionumque, quas ſcriptores ſacri inde mutuati ſunt.

Affine *triturationi*, tàm agreſtium uſu, quàm interpretum conſideratione, eſt *ventilationis* opus. Hoc quoque, prout in *Oriente* fieri ſolet, tam parùm, ante *Pocockii* reditum, doctis noſtratibus cognitum fuit, ut ipſe *Hammondus*, cùm jam in *Paraphraſi ſuâ & Annotationibus ad Novum*

(a) Comment. in *Joel.* III. 14. & *Mich.* IV. 13 modò citat.

 Teſta-

Teſtamentum adornandis occuparetur, ſcripſerit ad *Pocockium*, ſe dubitare quid ſibi vellet vox πτύον apud *Matthæum* ([a]), quæ ab interpretibus per *vannum*, ſeu *ventilabrum* reddi ſolebat. Reſcripſit *Pocockius*, ſe vidiſſe in *Oriente tridentis* cujuſdam ſpeciem, quo utebantur agricolæ ad frumenta ſua vel in auras attollenda, vel ad diverſas areæ partes projicienda, ut ita ventus ea perflaret: & fieri poſſe, ut Evangeliſta parvum aliquod & habile ejuſmodi inſtrumentum in oculis haberet, & non machinam eam majorem, alis, ſeu velis inſtructam, quâ nos vulgò utimur; quoniam prædicit Baptiſta, *Meſſiam*, qui ei in populi docendi munere ſucceſſurus erat, *vannum* hanc in manu ſuâ geſtaturum eſſe: Οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ ([b]). Quæ magni viri conjectura, in conſuetudinis *Orientalis* obſervatione fundata, eò veriſimilior videtur, quòd omninò conveniat cum interpretatione vocis à *Suida* allatâ, apud quem πτύον idem valet ac τρίναξ, nempe γεωργικὸν ὄργανον ὀδοντικόν ([c]).

(a) Cap. III. 12.

(b) *Twells* in Vitâ *Pocockii.*

(c) Hinc apparet, πτύον *dentatum* eſſe. Quot autem ei fuerint dentes, ſeu cuſpides, clarè indicat *Biſetus*, doctus *Ariſtophanis* interpres, qui ad Εἰρήν. v. 566. ex *Etymologici* Magni auctoritate aſſerit, θρίνακα, ſive τρίνακα, fuiſſe τετραινοειδῆ: quod & ipſe vocis ſonus innuere videtur. Quæ cùm ita ſe habeant, quæri poteſt, annon *Græcum* πτύον idem planè ſit,

ac

Atque hæc de *Pocockio*, immortali meo tàm in hâc, quàm in *Arabicâ* lecturâ antecessore,

---

ac *Arabicum* مذري *midhri*, (*Heb.* מזרה) quod *Golio* est, *Lignum dentatum, quo acervus triturati frumenti jactatur, ventilandi ergo?* Et, ne putemus hoc lignum majus fuisse, quàm quod in *Messiæ* manu commodè haberi potuerit, apparet ex epigrammate à *Suida* citato, τείνακα tam levem fuisse, tamque gestatu facilem, ut ipsa *agricolæ manus* nonnunquàm diceretur:

Καὶ τείνακας ξυλίνας, χεῖρας ἀρουροπόνων.

In iisdem literis ad *Hammondum* missis, *Pocockius* meminit parvuli alterius, & *manualis* instrumenti, *palæ Latinè* dicti, nempe cujusdam quasi everriculi, latæ potiùs, quàm dentatæ extremitatis; quod designari quoque potuit voce πτύον, cùm eundem ferè usum rusticis *Orientalibus*, quem tridens modò descriptus, præbuerit. Cui quidem notioni favent *Syriaca* & *Arabica* loci versiones, quarum illa habet ܪܦܫܐ, *raphsho*, hæc verò مرفش, *mirphash*; quæ duæ voces ejusdem tàm significationis, quàm radicis sunt, denotantque (id quod exprimitur *Arabico* مجرفة, *mijraphah*, quod in suo مرفش, *mirphash*, exponendo adhibet auctor lexici *Kamûs*) *palam ligneam, quâ verritur domus, & à pulvere & sordibus purgatur.* Neque hæc *Græci* vocabuli vis latuit quosdam patres *Latinos*: notatur enim, eos quoque πτύον per *palam* exposuisse. Eandem etiam confirmat glossa in *Vossii* Etymologico citata. Nec aliam fortasse *palam* describit *Homerus*, cùm ἀθηρηλοιγὸν, quod instrumentum *Eustathio* & *Homeri* scholiastæ est πτύον, *remi* speciem habere innuat, *Odyss.* XI. v. 127.

Ὁππότε κεν δή τοι ξυμβλήμενος ἄλλος ὁδίτης
Φήῃ ἀθηρηλοιγὸν ἔχειν ἀνὰ φαιδίμῳ ὤμῳ,
Καὶ τότε δὴ γαίῃ πήξας εὐῆρες ἐρετμὸν, &c.

Pleraque omnia, quæ hìc annotavi, accepta gratus refero amico meo *Jacobo Merrick*, A. M. Coll. *Trin.* Socio; viro tàm in his, quàm aliis humanioribus literis, versatissimo; singulari morum probitate, & summâ modestiâ prædito: qui, cùm hanc textûs Evangelici interpretationem non improbaret, has suas observationes, quibus eam confirmarem, mecum benignè communicavit.

dicta

dicta ſunto. Quo quidem in loco eo diutiùs ſum verſatus, *Academici*, ut non tantùm publicum hoc grati animi teſtimonium perhiberem viro, à cujus ſcriptis libenter me profiteor plura horum ſtudiorum ſubſidia atque adjumenta accepiſſe, quàm ab omnibus aliis; ſed etiam, ut ea, quæ à *Pocockio* in utriſque his officiis facta fuerint, largiùs recenſendo, eâdem vobis operâ indicarem quid ipſe in iiſdem exequendis, pro modulo meo, præſtiturus eſſem. Namque ut ego, magni profeſſoris exemplum ſecutus, ad meam utilitatem ſemper cum *Hebræis Arabica* conjunxi, idem vobis cenſeo faciendum, juvenes florentiſſimi; non quidem ut pares ſitis in utriuſque orationis facultate, quod minùs fortaſſe, ſaltem ex parte *Arabicæ*, neceſſarium videatur; ſed, quod ſummè neceſſarium puto, hominibus præſertim theologicis, ut eo, quo par eſt, fructu in ipſius *Hebraiſmi* ſtudium incumbatis; quod ſine mediocri ſaltem linguæ *Arabicæ* cognitione ullo modo fieri poſſe, & adhuc ſemper negavi, & nunc fortiter pernego.

Quoniam verò totum hoc philologiæ genus quibuſdam minùs placuiſſe videram, qui infra *Hebraiſmi* majeſtatem eſſe putant, ullam cum *Arabicâ*

bicâ linguâ affinitatem agnoſcere, nedùm ullum cum eâ commercium habere, aut auxilium inde petere; cum *Arabicâ*, inquam, linguâ, quam, utpote *Saracenicis* vernaculam, in ipſorum deſertis, circa *Mohammedis* tempora, natam eſſe volunt, imò, à *Mohammede* ipſo, *Korâni* ſui cauſâ, confictam atque fabricatam: idcircò, viſum eſt mihi quædam ex *Pocockii* ſcriptis in medium proferre, quibus oſtenderem, venerabilem hunc interpretem, quo nemo de ſacro ſermone honorificentiùs ſenſit, aut magis reverenter eum tractavit, ad vicinum nonnunquàm *Arabiſmum* provocâſſe, & amiſſas vocum *Hebraicarum* ſignificationes inde repetiviſſe: ut ita, injuſtam hanc læſæ ſacri codicis majeſtatis ſuſpicionem, quæ à nimiâ linguarum *Orientalium* ignorantiâ unicè profecta eſt, ex hominum animis evellerem, & exulare juberem.

POCOCKIO annumerare poſſem complures alios magni nominis viros, tam inter noſtrates, quàm exteros, qui *Arabiſmum* in ſacris adoptârunt, quanquàm alii aliis rariùs; (quoniam quidam in eo minùs periti erant;) quales fuêre *Fullerus*, *Medus*, *Hammondus*, *Ludovicus De Dieu*, *Hottingerus*, *Bochartus*, *Relandus*, aliique. Inter

exteros

exteros verò, qui ſeſe in hâc palæſtrâ exercuerunt, præcipuum ſibi locum vindicat *Schultenſius*, hodiernus linguarum *Orientalium* profeſſor *Leidenſis*, qui, ut alia permulta de linguæ *Hebrææ* defectibus, iiſque ex vicini *Arabiſmi* penu ſupplendis, egregiè conſcripſit, ita, ne quo modo eidem laudabili incepto deeſſe videatur, nunc quoque, ut audio, occupatur in condendo lexico vocum *Hebraicarum*, earum præſertim, quarum radices atque ſignificationes, oblivione jam diu obrutæ, ejuſdem *Arabiſmi* ope recuperari & in lucem reduci poſſunt: quo quidem opere, à tali tantoque viro conſummando, nihil utilius concipi poteſt, digniúſve, quod omnibus doctórum votis expetatur. Verùm, inter omnes, qui hanc viam ſecuti ſunt, nemo prorſus eſt, cujus exemplum tutiùs imitari poſſumus, quàm noſtri illius jam toties laudati *Pocockii*, utpote qui ſacram quandam & religioſam cautionem cum ſummâ eruditione admiſcuit, & ita *Arabica* cum *Hebræis* conjunxit, ut, dum nihil prætermiſit, quod illorum utilitatem oſtenderet, ne verbum quidem paſſus fuerit è calamo excidere, quod horum auctoritatem in dubium vocaret, aut dignitatem ullo modo imminueret.

SED,

SED, quoniam nonnulli ſunt, qui, ſpretâ *Pocockii* & aliorum eruditorum auctoritate, haud dubitant dicere, linguam *Arabicam* recentioris eſſe ævi, & proſapiæ inferioris, quàm ut ullam omninò neceſſitudinem cum primævo illo & puro *Hebraiſmo* ſibi vindicet, nedùm ut ullam ei, virtute talis cognationis, opem porrigere poſſit; quippe quæ inter barbariem *Iſmaeliticam*, circa *Mohammedaniſmi* initia, nata & enutrita, priſco DEI populo haud nota eſſe potuit, multo minùs ſe in eorum familiaritatem & conſuetudinem tam intimè inſinuare; idcircò, in præſtantiſſimæ dialecti ætatem paulo adhuc altiùs, quàm quo antehâc id argumentum perſecutus ſum, mihi inquirendum duco; quam cùm aſſignavero, nullus dubito, quin omnes omnem exinde de ejus novitate, generiſque ignobilitate querimoniam atque calumniam ultrò ſint depoſituri, mecumque ex animo faſſuri, eam eſſe linguam verè antiquam, antiquæ *Hebrææ* omnibus affinitatis vinculis conjunctam, ſumméque proinde idoneam, quæ illi, temporum ſævitiâ oppreſſæ, amicè ſuccurrat & opituletur. Quod ut libentiùs adhuc faciant, ulteriùs etiam pergam, & multa proferam exempla utiliſſimi hujuſmodi auxilii à linguâ *Arabicâ* vicinæ *Hebrææ* allati; varia, nempe, ſacri codicis loca difficilia *Arabiſmi*

ope explicata, & in nativâ clarissimâque luce collocata. Sed de his in prælectionibus proximis: nam plena & accurata eorum expositio angustos hujusce oratiunculæ fines longè excederet ([a]).

Interim, quæ jam dicta sunt, præsenti meo instituto sufficiunt, quod fuit ostendere, qualem viam in hoc munere obeundo secuturus essem; quæ haud alia futura est, quàm alta illa, & verè regia, quæ studiosum *Hebræum* per *Arabas* & *Syros* ducit, qui, cum *Terræ Sanctæ* vicini sint, iter, quo rectâ in eam tenditur, & ipsi nôrunt, & aliis monstrare possunt. Hanc viam qui mecum insistit, certissimum ei in studiis *Hebraicis* successum polliceri ausim. Cui enim tam latus ad omnem eloquentiam *Orientalem* aditus patet, næ ille in nullâ ejus parte hospes esse potest.

(a) Quæ hìc proposita sunt, duabus jam prælectionibus complexus fui, quas ad prelum mittere cogitabam, huic orationi, cujus doctrinam confirmant & perficiunt, subjungendas. Sed, cùm metuerem ne earum publicatio *Abdollatîphi* editioni, quam in manibus habeo, quámque docti *subscriptionis*, ut dicitur, jure à me expectant, moram nimiam injiceret, ab eo consilio destiti, ut *Abdollatîpho* me totum traderem, & fidem publicè datam quamprimùm liberarem. Quod cùm fecero, ad ea, quæ jam exorsus fueram, pertexenda me conferam, duasque prælectiones, quas nunc per alia negotia in lucem edere non licet, in manus iterum sumam, & biblicis meis *dissertationibus*, ad quas viam etiam muniunt, cujusdam quasi præfationis loco, præmittam.

Nefas autem esset huic sermoni finem priùs imponere, quàm serenissimo & illustrissimo Regi Georgio maximas, quas possim, gratias persolvero pro singulari eâ bonitate, quâ tenues meos labores respicere dignatus est, cùm mihi provinciam tradiderit *Hebraici* sermonis docendi, in quo excolendo, & dialectorum opibus adaugendo jam per tot annos occupatus fueram: provinciam mihi, non tàm emolumenti magnitudine, (quanquam id permagnum est,) quàm loci opportunitate, commendatissimam. Cujus beneficio, id mihi tandem evenit, quod votis ardentissimis semper exoptaveram, ut id, quod reliquum est mihi, vitæ tempus *Oxonii* transigerem; *Oxonii*, inquam, dilectissimi illius musarum domicilii, doctissimorum hominum frequentiâ semper celebrati, ubi id otii, in literarum studiis conterendi, sum adeptus, quo anteà frui non datum est, eam supellectilem librorum *Orientalium*, manuscriptorum præsertim, studiis meis summè necessariorum, cui vel ipsi *Orientales* thesauri inviderent. Namque, ut liberè dicam vobis, *Academici*, id quod sentio; nunquàm ad bibliothecæ *Bodleianæ* limina accedo, quin videar mihi ad ipsius *Arabiæ Felicis* limites appropinquare, ubi cum *Muftiis* & *Imâmis*, reliquisque id genus doctis, versari li-

cet, & *Arabiſmum* ex ipſo fonte haurire. Quo quidem fonte (ut metaphoræ indulgeam) non poſſum non vehementer delectari, quòd eam inde mihi literaturæ *Orientalis* ſitim aliquo modo extinguere liceat, cujus in ipſo *Oriente* ſedandæ nullam unquàm opportunitatem nactus fuerim: præſertim etiam, cùm planè ſentiam ex eodem nonnunquàm fonte, domi licet poſito, eos poſſe deduci rivulos, ad languentes *Hebraiſmi* radices irrigandas refocillandaſque ſummè idoneos, quos ipſi peregrinantes, in aliis fortaſſe rebus notandis occupati, aut prorſus non animadvertêre, aut leviter, & quaſi in tranſitu animadverſos neglêxere. Imò, haud opus eſt nobis, *Academici*, ut peregrina quæramus. Quod petimus, eſt hìc, eſt in manibus noſtris, eſt his ipſis, inquam, quas colimus, *Athenis*. Namque ex immenſâ illâ librorum *Orientalium* copiâ, quibus bibliotheca noſtra ſuperbit, vix unum reperire licet, qui non multa continet, unde ſermo ſacer, cujus interpretandi munus nunc ineo, aliquo modo locupletari atque illuſtrari poſſit. Quæ cùm mecum reputo, (neceſſe eſt autem ut quotidie reputem,) quàm ardet animus dignas poſſe referre gratias maximo illi optimoque Principi, qui me præfecerit negotio tam in ſe honorifico, tam opportunè

tunè ſito, cuique exequendo tot tamque egregia adſunt auxilia & inſtrumenta!

Gratiis his, quæ Regiæ Majeſtati meo nomine debentur, addendæ ſunt illæ magis publicæ, quas vos, *Academici*, eidem debetis pro eximio illo & rariſſimo *typorum*, ſeu characterum metallicorum, manuſcriptorumque linguæ *Brahmanicæ*, ſeu Veteris *Perſicæ* apparatu, quorum uſum vobis ex bibliothecâ ſua inſtructiſſimâ benignè ſuppeditavit. Quòd ſi omnia beneficia eo majora meritò ſemper putanda ſint, quo promptiore animo conferuntur, nullum eo nomine majus unquam fuit, quàm quod Princeps humaniſſimus in nos conferre dignatus eſt. Haud citiùs enim ei nunciatum fuit, vos in animo habere, eruditum illum, & vix jam ullo auro redimendum, celeberrimi *Hydii* de *Religione Veterum Perſarum, eorumque Magorum* libellum in publicum iterum, veſtris ſumptibus, & meâ qualicunque operâ, emittere; reſque modò memoratas ad eam editionem adornandam neceſſarias eſſe; quàm mandata primario ſuo bibliothecario continuò dederit, ut pretioſa illa, & nuſquàm alibi invenienda inſtrumenta (ſeu potiùs κειμήλια) ex ipſorum archivis eximeret, mihíque in manus traderet, *Oxonium* meâ curâ apportanda.

portanda. Quo quidem favore, Rex auguſtiſſimus haud minùs beneficum ſe & benignum oſtendit erga hiſtoriam linguaſque antiquas, quàm illuſtriſſimus ejus Pater, beatæ memoriæ, ſe geſſerat erga recentiores: dignus certè uterque, cujus laudes ob egregia in patriam, *Academiam* præſertim, merita, omnes concelebrent linguæ, omnis immortalitati, quam meruêre, commendet hiſtoria.

Verum, ut ab aulâ ad ſcholas redeam: ſolenne eſt, ut noviſtis, *Academici*, hujuſmodi ſermones, qui publicis prælectionibus, totidem quaſi proœmiorum loco, præmittuntur, ſeriâ aliquâ hortatione claudere, quâ audientium animi incitentur ad ea ſtudia ſtrenuè excolenda, quæ ſentiunt ab oratoribus ſtrenuè commendata. Sed in hoc noſtro ſermone nullus tali hortationi eſt locus; quippe qui habetur coram hominibus, qui non tàm hortandi ſunt ut linguæ *Hebrææ* ſtudium amplectantur, quàm vehementer laudandi ob ingentes progreſſus, quos in eo jam fecerunt: imò, quorum nonnulli, *Arabica* etiam cum *Hebraicis*, ſecundum conſilium in oratione ſuperiori datum, conjunxerunt, & ita, rectam in his rebus viam inſiſtentes, eximiam de ſe ſpem faciunt, ſe præclaros

ali-

aliquando fore omnis *Orientalis* eloquentiæ, ac biblici præſertim ſermonis, magiſtros. Qui ſic inſtituti ſunt, nullam præviam prælectoris orationem deſiderant, quâ de *Hebraiſmi* vel naturâ, vel excellentiâ, vel etiam utilitate commoneantur. Ipſis propria experientia eſt inſtar omnis argumenti. Habent in manibus volumina ſacra. Sciunt ea non tantùm ſibi intelligenda eſſe, ſed & aliis explicanda. Sciunt etiam *Hebraica Hebraici* Teſtamenti non magis intelligi poſſe ſine cognitione linguæ *Hebrææ*, quàm *Græca Græci* Teſtamenti ſine cognitione linguæ *Græcæ*; ac propterea ſui eſſe officii, accuratam utriuſque peritiam ſibi comparare. Quod eo diligentiùs etiam faciunt, quoniam denique ſciunt, duos hos codices, etſi duobus diverſis ſermonibus conſcripti ſint, non niſi unum tamen ſalutis humanæ opus (qui amborum eſt finis) continere; & proinde, qui non *Hebraicis* literis æquè ſtudet, ac *Græcis*, næ ille de unâ ſolummodò venerandæ hujus inſtitutionis parte ſolicitus eſſe videtur, dum alteram aut planè negligit, aut tantillam ejus portionem ſcire cupit, quantilla ei, quaſi peregrino, aut aliud agenti, operâ alicujus interpretis, ejuſque non ſatis interdum nec periti, nec fidi, innoteſcere poteſt. Qualis quidem incuriæ, in hoc tanti momenti negotio,

reum

reum argui, viri vix eſt eruditi, nedùm theologi *Chriſtiani.*

Nec veſtra tantùm ſcientia, *Academici*, facit ut minùs me hortatore indigeatis, ſed & multa illa, & maximè diſerta, quæ locus ipſe vobis ſuggerit, hortamenta. En! bibliothecam veſtram *Bodleianam* ſinum ſuum, omnigenis manuſcriptis refertum, vobis aperientem, voſque ad ſcrinia & archiva ſua invitantem! En *Mauritium* ([a]), *Hebraicè* ſtudentibus libros! En *Hodium* ([b]), ſtipendia! En totam *Academiam*, doctrinam & exempla! En ipſam typographiam *Oxonienſem*, biblia *Hebræa* accuratiſſimè nitidiſſiméque impreſſa, & punctis *Rabbinicis*, illis ſacræ ſcientiæ impedimentis, exuta atque liberata ([c])! En, in-

---

(a) Quondàm *Ædis Chriſti* Canonicum, & linguæ *Hebraicæ* Profeſſorem; qui teſtamento reliquit X libras, ſucceſſorum ſuorum manu annuatim erogandas, ad emendos libros *Hebraicos*: nempe, V libras bibliothecæ *Ædis Chriſti*, & V bibliothecæ Collegii *Omnium Animarum.*

(b) Collegii *Wadhamenſis* pridem Socium, & publicum linguæ *Græcæ* Profeſſorem; qui, cùm *Græcè* & *Hebraicè* optimè ipſe ſciret, ne alii neſcirent, moriens legavit annua ſtipendia ſatis ampla decem ſui Collegii Scholaribus; quorum quatuor literis *Hebraicis*, ſex verò *Græcis* operam navarent: inſtituto utriſque his literis plurimùm, nî fallor, profuturo.

(c) Curâ doctiſſimi viri, & de *Academiâ*, totâque republicâ literariâ optimè meriti, *Nath. Forſter*, S. T. B. C.C.C. Socii.

quam, ipſum locum hæc & alia præclariſſima laborum auxilia atque incitamenta vobis ſuppeditantem, voſque altâ quaſi voce ad *Hebraica* ſtudia vocantem! Hæc eſt hodierna literarum ſanctarum apud vos, *Academici*, felicitas; hæc beneficia atque adjumenta, quæ earum cultoribus proponuntur. His commoti, opportunitatem literaturæ *Orientalis* excolendæ hìc oblatam, fruſtráque alibi quærendam, avidè arripitis, & animosè ſequimini; nec facilè committitis ut, ubi cætera omnia tàm copiosè vobis ſuppetunt, ibi veſtra ſola induſtria deſideretur.

Pergite itaque, ut facitis, juvenes *Academici*, literas *Hebraicas* amare & colere. Pergite ſacra oracula ſuâ potiùs, quàm interpretum linguâ loquentia conſulere. Pergite de legibus Dei, ſecundum præceptum *Moſaicum* (a), vobiſcum quotidiè meditari, & inter vos colloqui: ſiquid in iis occurrat dubii, alii modeſtè & reverenter proponere, doctè alii, & enucleatè ſolvere; ſiquid obſcuri, interrogatis invicem ſententiis, explicare, &, quantum rei natura patitur, manifeſtum facere; ſiquid pulchri, Deoque digni, (qualia om-

(a) *Deut.* VI. 7. XI. 19.

nia ſunt,) ſummoperè admirari, & ſublimes ejus conceptus ad cælum (unde venerunt) junctis laudibus extollere. Pergite, inquam, his & ſimilibus modis ſtudia *Orientalia* excolere, &, cum juvene *Timotheo, literas ſacras, quæ vos poſſint erudire ad ſalutem, à pueris noſcere* ([a]). Ita fiet, ut, poſtquàm ævum divinis his exercitationibus exegeritis, magnamque tàm doctrinâ, quàm pietate & vobis, & religioni veſtræ gloriam attuleritis, mercedem tandem operi haud abſimilem, ei certè reſponſuram, accipiatis; migraturi, nimirùm, ex brevi hâc & caducâ vitâ, ubi perfecta linguæ *Hebrææ* cognitio haud ſine multo labore comparari poteſt, ad perennem illam & permanentem, ubi eadem lingua (piæ magnorum virorum ſententiæ ſiqua fides) vobis erit vernacula ([b]), & in perpetuum exercebitur enarrandis laudibus illius DEI, cujus voluntatem vos, ejus ſermonis ope, & intellexiſtis ipſi, & alios edocuiſtis.

(a) 2 *Tim.* III. 15.
(b) *Erpenii* Orat. de Ling. *Hebr.* & *Arab.* p. 105.

F I N I S.

600.–

5963
1.20
53X24
4/–

